

## 1. PICRIDIDIUM TINGITANUM. DESF.

*P.* annuum; caule subfoliato, superne ramoso; foliis lanceolatis pl. pinnatifidis rarius integris; pedicellis subesquamosis; involucri squamis margine lato, albo, scarioso munitis, inferioribus obtusis mucrone brevi terminatis, subcorniculatis. (Ligulae inferne et in dorsi parte superiori pl. purpureo-brunneae, supra tubum more *Tolpidis barbatae* pl. pulchre violaceae, quod praeter *P. crystallinum* in nullo alio observavi Picridio.)

*Chondrilla tingitana* floribus luteis, *Papaveris hortensis* folio. *Herm., Lugdb., 657, t. 659.*

*Scorzonera tingitana.* *Linn., Sp. pl., ed. 1, p. 791, et ed. 2, p. 1114, et Scorzonera orientalis, l. c., p. 1113.*

*Sonchus tingitanus* *Papaveris* folio. *Tourn., Inst., p. 474.*

*Sonchus tingitanus.* *Lam., Enc., 3, p. 397.*

*Picridium tingitanum.* *Desf., Atl., 2, p. 220. — Buch, Canar., p. 147, et 175. — DC., Pr., 7, p. 182, excl. loco natali « Sicilia » sec. ipsiss. Gussone Fl. sic. syn., 2, p. 393.*

*Picridium arabicum.* *Hochst! et Steud. in Schimp. pl. arab., n. 883* certe *P. tingitani* var. est integrifolia. Cl. Hochstetter ipse in litt. recte monet: « Forsan *P. tingitani* var. integrifolia (semin anon » differunt). »

*Picridium orientale.* *DC., Pr., 7, p. 182* et verosimiliter *Picridium hispanicum.* *Poir. — DC., l. c.*

HAB. Vulgaris est in ins. Canariensibus: *Webb! Infierno Adexe, Fuente del Re Oro-tava* Teneriffae. Specimina magna et pulchra in *Barranco de las Augustias* Palmæ sec. *Buch, l. c., p. 175. Fuertaventura: Bourgeau! n. 9.*

Specimina canariensia sunt palmaria spithamea, caulibus dichotome ramosis, erectis v. adscendentibus, foliis pinnatifidis, involucri squamis late albo-marginatis, inferioribus ad dorsi apicem corniculatis.

DISTR. GEOGR. Stirps crat. mediterranei australis et Orientis, imò in Americam septentr. sec. specimen pensylvanicum herb. *Zeyher!* introducta, in hortis botanicis abundans.

In herbario habeo:

1. Persia australis. In fissuris rupium pr. pagum *Gere*, inter *Abuschir* et *Schiras*, 25 Mart. 1845: *Kotschy!* pl. Pers. austr. ed. *Hohenaker* n. 28 et 87 (*P. orientale* DC. — *Boiss.!*). Planta caule humili submonocephalo, sine capitulo 1/5-5 poll. longo, efoliato v. foliato, foliis integris v. pinnatifidis. — Arabia, in palmetis vallis *Fatme* prov. arabicae *Hedschas* Febr. 1836: *Schimper!* n. 835. Planta dodrantalis, ramosa, foliis integris v. superficialiter sinuatis. — Barbaria prope *Gerbi* et *Salecto*, vere anni 1846: *Dr. Lorent!* Plantae palmares-spithameae, subramosae, foliis pinnatifido-pinnatipartitis.

## 2. PICRIDIDIUM INTERMEDIUM. C. H. SCH. BIP.

*P.* annuum; caule subfoliato, pl. inferne ramoso; pedicellis pl. plurisquamosis; squamis involucri inferioribus acutis v. acuminatis, margine scarioso angustiore sordide viridi-albente munitis; foliis obovato-oblongo-lanceolatis, subintegris, crebre denticulatis,

denticulis spinescentibus; flore concolore dilute aureo vel superne dorso subpurpurascente.

Variat :

$\alpha$  *Janii*, caule 1-2-pedali, subfoliato, dichotome ramoso. Huc specimina sicula, cretencia, hispanica et lusitanica.  
 $\beta$  *gracilis*, caule spithameo, gracili, subfoliato, 1-2-cephalo. Huc specimina canariensia, 5-7 poll. longa, quibus folia tenera, pleraque radicalia, rosulata, obovato-lanceolata, spinulose dentata, integra v. sinuata; caules graciles 1-3, erecti, 1-2-cephali; pedicelli squamosi, clavati; capitula parva, involucri squamæ inferiores dorsi apice corniculatæ, margine scarioso, albo-virente munitæ; flores pl. concolores, rarius dorsi ligulæ parte superiore subpurpurascens. Species intermedia *Picridium tingitanum* inter et vulgare, priori radice annuâ affinis, sed inter alia involucri squamis angustius et obscurius scariosis discrepans, posteriori magis affinis, sed diversa radice annuâ squamis latius scariosis, flore pl. concolore in *P. vulgari* dorso ligularum lividè villato.

*Sonchus intermedius* Cristofori et Jan! Catal., p. 13, gen. 658, sp. 6 1/2 (anno 1832).

HAB. In ins. Canariensibus cum *P. tingitano*.

DISTR. GEOGR. Stirps mediterranea; habeo e Sicihiâ : Jan! Cf. DC. pr. VII, p. 182, qui stirpem hanc cum *P. lingulato* confundit; Cretâ : Sieber! cum *P. vulgari*; Lusitaniâ in arvis primo vere, Martio 1839 : Welwitsch! n. 388 (*P. vulgare*); Hispaniâ in lutosi reg. calidæ in monte Gibraltario, 3 Apr. 1845 : Willkomm.! n. 570 (*P. vulgare*).

### 3. PICRIDIDIUM CRYSTALLINUM. C. H. SCH. BIP.

*P. tingitanum*  $\beta$  *crispulum* Webb! in litt.

HAB. In arenâ maris ad portulum oppiduli Guimar. Pili apice vesiculosi et tota planta micat veluti *Mesembryanthemum crystallinum* : Webb! in litt. Buena Vista, Teneriffæ : Webb!

DISTR. GEOGR. Stirps canariensis.

Species peculiaris esse videtur. Capitula certe *Picridio tingitano* similia. Involucri squamæ nempe late albo-scariosæ, ad dorsi apicem, exceptis intimis, corniculatæ, flores supra tubum pilosum violacei et ligula dorso subpurpurascens. Pedicelli in axi foliorum supremorum orientes, pollicares, efoliati, squama una alterave notat cordata. Achenia nondum matura. attamen pappus basi in anulum concretus caducissimus.

Differt tamen a *P. tingitano* :

1. Radice fusiformi 3-4 poll. longa, superne 3-4 lin. diametro metiente, lignescente, pluricauli.
2. Caulibus cum capitulis speciosis tantum 2 poll. longis, inferne suffruticosis, 2-3 lin. diametro metientibus, ligno duro, amarissimo.
3. Foliis confertissimis innumeris, cæspitosis, lineari-lanceolatis, pinnatipartitis, cum pinnis oblongis, dentibus spinescentibus innumeris, inæqualibus conferte exasperatis, crispulis, et pilis simplicibus, apice in vesiculam ovalem dilatatis, confertissimis, albo-cinereis. Corpusculi similes albentes, sessiles, ovales, inflati, etiam in foliis *P. tingitani* et quandoque *P. vulgari* sparsi observantur, quales in nullis aliis observavi Cichoriaceis, et quæ potius ad regnum animale spectare videntur.

### 4. PICRIDIDIUM LIGULATUM. VENT.

*P. inferne suffruticosum*; squamis ovato-lanceolato-linearibus, obtusis, herbaceis, mar-